















# CONSTANTINI IMPERATORIS AD EPISCOPOS IN SYNODO

Nicœna congregatos exhortatio apud Theodoretum

libr. 1. trist. ecclesiast. cap. 7.

**R**euocate, inquit, in memoriam superiorum tyrannorum crudelitatem, cogitate, quam honorifica pace fruamini: & proinde statuite nihil indignius esse episcopis, quam hostibus domitis, cum, qui rebellare audeat, inueniatur nemo, ipsos vos mutuò impetere, & voluptatem ac risum conciliare inimicis: præsertim in disputationibus rerum diuinarum, de quibus habetis sanctissimi spiritus doctrinam præscriptam: *ἐναγγελικὰ καὶ γὰρ βιβλικὰ ἀποστολικὰ καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ δεσπύσματα σαφῶς ἡμᾶς, ἃ καὶ πρὶ τῶν θεῶν φρονεῖν ἐκπαίδευσσι, id est: Evangelici & Apostolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula planè instruant nos de ijs, quæ de religione sentienda sunt. Horatur proinde Constantinus Episcopus, ut deposita hostili discordia, ex diuini spiritus dictis quæstionum sumant explicationem.*



WILTBERGE

Typis M. D. Georgij Willelmi  
Anno M. D. XCIII.





# CAPVT PRIMVM

Qua, vnde, & quomodo orta in Ecclesijs Augustanae  
Confessionis dissidia.

Thesis I. τὸ προκειμένον ἀγαθὸν περιμάχεται.



Quantum aestimemus Dei beneficium, quod hac vlti-  
ma mundi aetate doctrina de praecipuis Religionis  
Christianae articulis humanis traditionibus & ponti-  
ficia superstitione deprauata & submersa ministerio  
D. Lutheri e tam densis tenebris in apertissimam lu-  
cem producta, & immotis scripturarum argumentis confirmata,  
declarata & demonstrata est, proxime indicatum.

Ps. 32. 9.  
Iob. 38. 11.  
Es. 46. 10.  
Deut. 8. 3.  
Sap. 16. 26.  
Mat. 4. 4.

II. Διάβολος ὁ πρόμαχος ἡ ἀρεσιάρχης.

Verum quod sanctius repurgatae doctrinae opus, eo maiori co-  
nata a diabolo contra pugnatum est.

Ioh. 8. 44.  
Apo. 9.

III. προκαταρκτικὴ τῆς ἐξομολογήσεως.

Eius enim instinctu pontificij synceram Evangelij doctrinam  
nouum dogma criminati sunt, totisque viribus, licet frustra & fal-  
lo, contenderunt, Lutheri sententiam & institutum Verbo Dei  
& ordini ecclesiastico aduersari. Vnde calumniarum non mani-  
puli, sed plaustra nauesque, onerariae totum Christianum orbem  
mendacijs impleuerunt.

Act. 13. 10.

IV. κατὰ τὸ πᾶν τῶν ἁγίων.

Hoc conflictu veritatis & mendacij post annum tandem de-  
cimum tertium Augustana Confessio expressa est.

Rom. 8. 28.  
Gen. 50. 20

V. τὸ ἐκβαρῦν εὐτυχεῖσθε.

Illustrissimi etenim Electores & Principes vna cum Amplif-  
simis Imperij ordinibus, quotquot tum temporis syncera euangelij  
doctrinam amplexi fuerant, suasque ecclesias pie ad praescriptum  
verbi diuini repurgauerant, in frequentissimo illo conuentu  
Anno Christi 1530. Augustae Vindelicorum confessionem piam  
& synceram eaque Verbo Dei extractam Imperatori Carolo V. ex-  
hibuerunt

Schl. id. l. 9

VI.

In qua aperte & breuiter fidei suae rationem exposuerunt, &  
quid de articulis fidei praecipuis, deque illis potissimum, qui haeres



nus ab Anno Christi 1517. inter pontificios & ipsos protestantes  
controversi fuissent, sentirent, inq; suis ecclesijs docerent.

VII. ἡ ἕξωθεν ἐπιπολέμους.

Et si verò Pontificij illam confessionem ægerrimè tulerunt,  
magnòq; animi fremitu restiterunt, nihilominus huc vsq; incon-  
cussam peneq; intactam reliquerunt.

VIII. ἡ ὀρθόδοξος ἰξομολόγησις.

Illam ipsam piam eq; Dei verbo extractam Augustanam Con-  
fessionem nos quoq; in nostris ecclesijs hodie ex animo amplecti-  
mur.

IX.

Neq; vllam aliam eius interpretationem & sententiam acci-  
pimus, quam quæ apertis & perspicuis verbis in ipsa expressa est.

X.

Atq; ita Augustanam Confessionem pro puro & orthodoxo  
symbolo habemus, quo, secundum sacras literas, Veri Christia-  
ni ab omnibus hæreticis discernuntur.

Aug. lib.

2. contra

Cresc. Grã:

c. 32. T. 7.

Theodo-

retus l. 1.

b. eccl. cap

7.

XI.

τὰ πρὸ πάλαι ψηφίσματα.

Quemadmodum in primitiua quoq; Ecclesia disidijs ortis  
symbola & ἰξομολόγησις ad normam sacrae scripturae confectæ  
fuerunt, quas orthodoxi & rectè sentientes tum doctores tum  
auditores non modo apud animum sed viua quoq; voce appro-  
barunt, & tanquam tesseras ac infallibiles notas suæ fidei contra  
omnis generis hæreses esse voluerunt.

XII. πληροφορία ἢ τὸ ἀμετέπτωτον τῆς ἀληθείας.

Ita nostræ quoq; ecclesiae suum Augustanæ Confessionis sym-  
bolum huc usq; integrum & inuiolatum conseruarunt, & de in-  
ceps quoque illud ipsum retinere, defendere, & fidei suæ ratio-  
nem iuxta Dei verbum ex illo coram TRIBUNALI IESV  
CHRISTI in conspectu Angelicæ & humanæ Ecclesiae con-  
tra hostes suos pontificios & Caluimianos reddere cogitant.

XIII.

ἡ ἕξωθεν σάσις.

Ac tamen, vt diximus, solida nostræ Confessionis doctri-

na



na huc usque non modo non refutata, sed ne quidem impu-  
gnata fuerit, (pontificiorum inanes strepitus & latratus excipio) *Matt. 22.*  
tamen negari nequit quosdam Theologos ab eius confessionis *29.*  
præcipuis & arduis aliquot articulis recessisse, eò, quod vel non *1. Ioh. 2. 19*  
intellexerint illorum articulorum germanam sententiam, vel *2. Pet. 2. 1*  
quod intellectam alioquin ex impietate & ἀπιστία deserere vo- *1. Tim. 4. 1*  
luerint.

XIV. λυκηθμὸς

Quemadmodum etiam in propatulo est, falsos fratres ouile *Mat. 7. 15.*  
la pelle amictos, clanculum ecclesias nostras inuasisse, qui Augu- *2. Cor. 11.*  
stanae Confessionis sectatores & professores sese venditare non *13.*  
erubuerunt, cum interim falsas de religione opiniones fouerent,  
& symbolum nostrum deprauare inq; peregrinam sententiam  
detorquere conarentur.

XV. θάωδης ἀποφορὰ τῆς διχοστασίας ψευδογραφίας

Ex hoc fonte, vel potius fœdissima Mephiti, dissidia in no-  
stris Ecclesijs eruperunt: atq; ita externis & civilibus prælijs pax  
turbata.

XVI. τὰ ἐπόμενα τῆς αἵσεως

Deploranda etenim illorum, qui nostrarum aliquando par-  
tium fuerunt ἀποστασία, in hostibus, qui nobiscum nunquam sen-  
ferunt, animos auxit, in nostris, qui pede stant imbecilliore, aut  
depressit, aut in dubium traxit.

XVII. σύγκρισις πολιορκήσεως ἢ αἵσεως.

Maior à falsis fratribus orta perniciēs. Nam illi vel eminus  
rela miserunt, vel, quibus noti fuerant, eos sui admiratione &  
desiderio è longinquo affecerunt: hi verò in ipsum Ecclesiae no-  
stræ corpus nocentissimum Calvinianæ heresis venenum subdo-  
lè & fraudulenter instillarunt, & tanquam sicarij sub amico no-  
mine ciues nostros, priusquam animaduerti posset, iugularunt,  
Pestilentissimum genus nebulonum.

XVIII. τὸ σύμμορφον τῆς δυσυχίας.

Neq; nostras nostri temporis Ecclesias eiusmodi tempeltas  
solummodo perturbauit, Eadem fortuna ipsos Apostolos exer-  
cuit.





XIX. *μαχα τῶν ἀποστόλων.*  
Quis crederet, nisi scripturam haberemus testem, illa ipsa ve-  
ritatis lumina, quæ diuinitus testimonium habebant, quod in do-  
ctrinâ errare non possent, nihilominus inuenisse, qui Verbo Dei  
& spiritui sancto per ipsos loquenti contradicere & audacter re-  
luctari auderent?

XX.  
Atqui fuerunt, qui caput Euangelij peterent, & gratuita per  
fidem in Christum iustificationis doctrinam e fundamentis ever-  
terent, contra operibus & ceremoniarum legalium obseruantia  
salutem adscriberent; Act. 15. Gal. 1. & 2.

XXI.  
Alij metam fidei subuertere, & resurrectionem mortuorum,  
cuius gratia Christiani sumus, negare sunt ausi: 1. Cor. 15. 2. Tim.  
2. 18.

XXII.  
Iesum quoq; salutis autorem aggressi Cerinthus, Ebion,  
Marcion, Simon Magus & alij aut diuinitatem eius negarunt,  
aut humanam naturam aboleuerunt aut personam distraxerunt.  
Ioh. 1. 1. Ioh. 4. 3. 2. Ioh. 7. 9. Apoc. 2. 15. 20. 24. Irenæus l. 3. c. 2. Ignat. ep. ad Tarsens. Act. 8. 9. Eus; hist. eccle.  
l. 3. c. 23. 24. 25. 26. &c.

XXIII. *τὰ ὄπλα τῶν ἀποστόλων*  
Quorum opinionibus & furori Apostoli suas conciones &  
Epistolas opposuerunt; quamuis ea concertatio sine calumnijs  
& obtrectatione τῶν ἀπίστων, grauiq; offensione τῶν ὀλιγοπίστων  
haud quaquam abierit. Optanda enim cum tranquillitate veri-  
tas, non accipienda sine veritate, tranquillitas.

XXIV. *Effectus dissidiorum diuersi & infasti.*  
Eodem pacto hodie quoq; dissidia per diabolum in nostris  
ecclesijs concitata pontificij habent, quibus sese suauissimè titil-  
lant: hic triumphant, & vt diaboli progenies agnoscantur  
ex propria ipsi ἐπιχαρηναικία, ideò Christianorum cladibus sese  
oblectant, & inanem spem somniant, fore, vt ipsa tandem Confes-  
sionis nostræ veritas penitus amittatur, & ecclesiæ prorsus dissi-  
pentur. Ita fabulæ malitiosi spectatores animati sunt.

XXV.  
Imbecilliores interim suspenso tenentur animo, dum aliqui  
illorum ambigunt, an inter tot contentiones ulla possit esse do-  
ctrinæ certitudo, aliqui in eo hærent, nobis ne potius an aduers-  
sarijs assentiri debeant.

Maxima



XXVI

Maxima pars eorum est, qui nulla Religionis cura afficiuntur, et in istis certaminibus parum momenti positum esse arbitrantur, λογομαχίας & verborum concertationes appellant, & ijs sæpenumero, qui ad rerum sedent gubernacula, persuadent, theologos inanis gloriæ cupidos ex mera φιλοκακία de apicibus theologis, quos scire ac ignorare perinde sit ad salutem, multis conuitijs digladiari.

III.

XXVII. Διορισμὸς τῶν ἀμφισβητήσεων.

Verum illa certamina, quæ huc usq; nostras ecclesias perturbarunt, minimè sunt ludicra, neq; de verbis solummodo & phrasibus: sed res omnium grauissimæ in disceptationem venerunt, & ita comparatæ, vt opinio eius partis, quæ a veritate aberrat, in ecclesia tolerari, excusari & defendi nullo modo debeat.

XXVIII. Ἡ τῶν ἐξετάσεων τὰ ἀπορᾶ ἀνάγκη

Ex quo intelligitur, quàm necessarium sit, ex verbo Dei illas controversias explicare, & ita dirimere, vt quilibet Christianus spiritus sancti auxilio liquidò perspicere queat, vtra pars verbo Dei & Augustanæ Confessioni consentientem sententiam tueatur, ab eaque recedat, atq; ita errores & doctrinæ corruptelas clanculum in ecclesias nostras introductas vitare & fugere possit.

C. APV T SECV NDVM.

Synopsis, fundamentum, canon & regula, quomodo ad normam verbi diuini omnis doctrina dijudicanda & orta dissidia piè & solidè declaranda & dirimenda sint.

Thesis I. κανὼν 1. ἀσφαφής: 2. κοινός

Vnde verò tam difficilium controuersiarum petenda disceptatio? Ad controuersias dirimendas & ad concordiam stabilendam opus est veræ doctrinæ synopsis & compendio, quo & recte idemq; sentientes tanquam firmissimo vinculo constringantur, & diuersum opinantes ab illorum consortio segregentur,

II.

Id quod Ecclesiam post Apostolorum tempora fecisse ex historijs



Historijs constat, quæ itidem symbola & tesseras habuit, quibus orthodoxi ab hæreticis dignosci potuerunt.

III. 3. κοινὸς δημοσία ἐκφυσμένον.

Oportet autem eiusmodi Synopsin & Canonem non ex priuatorum scriptis, aut etiam suspectis & ambiguis libris desumptum, sed ex sacra scriptura publica eius ecclesiæ, quæ in doctrina consentit, autoritate & vnanimi consensu confectum & approbatum esse.

IV.

Proinde nos quoq;, qui Augustanam Confessionem tuemus, non volumus nouam aliquam doctrinæ formam condere, sed ea symbola & scripta, quæ in nostris ecclesijs Augustanæ confessioni addictis, antequam dissidium vllum inter Augustanæ Confessionis professores obortum esset, publicè approbata, ab omnibus eodem modo accepta & usurpata fuerunt.

1es. 8. 20.

Pf. 118.

Augustin:

l. 4. con-

tra 2. epist

Pelag. sub

finem

V. Canon nostræ ætatis ἐναγγελικαὶ εἰςελαι.

Primum itaq; pro Canone & regula ponimus sacra biblia, libros veteris & noui Testamenti Canonicos.

VI. Δεωσίματα γραφῶν.

Sacra enim scriptura vnicus est canon & infallibilis regula, iuxta quam omnes doctores & doctrinæ dijudicari debent.

VII. 2. σωοδικὴ ἐπιμαρτυρία.

August. de

fide et sym-

bolo Tom.

3. col. 139.

Ambros:

Ruffin. Hi-

ero. Iren.

Tertul.

Secundo amplectimur quoque tria illa symbola, in quæ antiquitus summa vniuersæ doctrinæ Christianæ relata fuit.

VIII.

Vetus etenim traditio habet, Apostolos, priusquam in diuersas orbis terrarum partes abirent, religionis Christianæ summam in breuissima illa capita quasiq; aphorismos redegisse, quæ symbolum Apostolicum nominantur.

IX.

Ruf. l. 1. c. 5

Socrat. l. 1.

c. 5. Theo-

do. l. 1. c. 12

2) Posteaq;

Constantino,

post conclusa.

Postea cum Arrij hæresis Ecclesiam Christi perturbasset, Synodus Nicææ in Bithynia à Constantino Magno circa Annum Christi 325. conuocata, a cui præter presbyteros, diaconos & acoluthos plures quam trecenti ex omnibus prouincijs & nationibus episcopi interfuerunt, symbolum, quod à loco Nicænum vocatur, condidit, & Arrianorum blasphemijs opposuit. Quod cum sit trophæum omnis hæresis, vt Athanasius loquitur, & ba-

sis ac



sis ac fundamentum animarum nostrarum, vt Cyrillus: ideo in nostris quoque ecclesijs festis diebus omnium voce canitur.

X.

His additur Athanasianum, quod in synodo Alexandrina circa annum Christi 371. Athanasius composuisse perhibetur, vt Arrianos & pneumatomachos retunderet.

XI. 3. τὰ νῦν σύμβολα.

Tertio quia doctrina euangelij per D. Lutheri ministerium à Deo repurgata in breuissimam Augustanæ Confessionis formam contracta est: Idcirco Augustanam quoq; Confessionem illam primam & genuinam minimeq; mutatam, quæ Anno 1530. Imperatori Carolo V. fuit exhibita, pro fidei nostræ symbolo & compendio agnoscimus.

XII. τὰ σώματα.

Quartò cum germana Augustanæ Confessionis sententia, mox anno sequente, post exhibitionem, apologiæ libro comprehensa, & dexterrimè exposita sit, qua & pontificij errores refelluntur, & omnib; erroneis opinionibus clanculū subreptibus via præcluditur, idcirco eam quoq; Apologiam approbamus, idq; eò, quod articuli nostræ confessionis solidis scripturarum fundamentis demonstrationibus in illa exponuntur.

XIII.

Quintò adiungimus nostræ Confessioni etiam Smalcaldicos articulos, qui anno trigesimo septimo à præcipuis Theologis conditi sunt in eum finem, vt in Concilio Mantuano, aut vbi-eunq; institueretur, nomine Electorum, Principum, & Amplissimorum ordinum ederetur.

XIV.

Idq; eò, quia in illis articulis quædam Religionis capita vberius sunt tractata, & in primis causæ monstratæ nostræ à pontificatu decessionis, & cur in papalem idolatriam & doctrinæ corruptelas consentire nullo vnquam tempore velimus.

XV.

Deniq; retinemus etiam maiorem & minorem Catechismū D. Lutherica forma, qua ab ipso conscripti in Tomis reperiuntur.

Tom. 6.  
Vit. germ.  
fol. 52. &  
92.

XVI. τῶν ἐκρηθμικῶν τὰ ἄττα.

Idq; ob tres potissimum causas: primum quia summam vniuersæ Religionis admiranda breuitate & perspicuitate declarat: B deinde



deinde quia in ædificatione Ecclesiæ imprimis vulgi & rudis populi nec non teneræ ætatis habenda est ratio, ut pueri ab ineunte ætate veræ fidei principia cum lacte veluti materno imbibant, & populus alioquin rudis & literarum ignarus capita Christianismi percipiat: deniq̃, quia catechismi Lutheri publico usu recepti sunt & non modo in ecclesiasticis congressibus nostrorum sed etiam domi inter priuatos parietes recitantur.

XVII.

Hæc publica, quæ enumerauimus, scripta, in nostris ecclesijs semper eo loco sunt habita & adhuc habentur, quod ὑποτύπωσις sano: ū verborū & saluberrimæ doctrinæ contineant, quam D. Lutherus ex verbo Dei nobis tradidit, pontificiorum corruptelis & omnium sectarum erroribus opposuit.

XVIII.

Vberiore vero omnium capitum Religionis declarationem ex libris D. Lutheri tam polemicis quam didacticis petendam esse censemus.

XIX. Διαφορὰ τῶτε κανόνος καὶ μαρτυριῶν

Quos quidem libros D. Lutheri pro precioso sanæ doctrinæ deposito habemus eo sensu eaq̃, autoritate & dignitate, qua ipse eosdem haberi voluit.

Luth. in  
præf. operū  
germ:  
Tom. 1.  
Vit. &  
præf. latina  
Tom.  
1. Vit. lat.

XX.

Sic etenim ipse de suis libris: siquidem præter meam voluntatem mea scripta in publicam lucem emittuntur, peramanter omnes pios rogatos velim, ut nequaquam illis ita adherescant, ut interim sacra biblia negligant: sed eo loco reponant, quo ego pontificis decreta & decretalia soleo, quæ ita usurpo, ut & sophistarū libros, ut illos quādoq̃ inspiciam, cum videre volo quid & rectène senserint, & quo pacto annorum historiam supputauerint. Neq̃, enim ita illis vtor, ut sua autoritate mihi credendi & in diuinis statuendi necessitatem imponant, & sint fidei meæ canon ac regula, sed vtor illis ut testibus: Eodemq̃, penè loco patrum volumina & concilia habeo.

XXI.

Qua quidem in re Augustini sententiam sequor, qui penè solus



16  
solus ex omni antiquitate in patrum concilia & decreta ac placita iurare recuset, solasq; sacras literas pro infallibili veritati canone habendas contendit: vnde etiam factum vt Hieronymi reprehensionem, qui Patrum scripta obijciebat, incurreret. Hæc Lutherus.

XXII.

Alij interim pij, orthodoxi & eruditi libri minimè reijciuntur, sed illud saltem indicare volumus quo discrimine omnes alij à sacra scriptura distent, & quo loco habendi sint.

XXIII.

Alia præter sacras literas scripta habemus pro interpretibus & testibus veritatis, non pro magistris nec pro regula fidei: & illis fidem aliter non adhibemus, quàm quatenus cum sacris biblijs consentiunt.

XXIV. ὑποφορῶν ἀποδόξει.

Quod ea scripta coniunximus, quæ modo sunt nominata, nõ fit in præiudicium scripturarum: neque enim quicquam sacris literis vel præponimus vel exæquamus: Sed quia illi libelli synopsis & summam Christianæ doctrinæ ex verbo Dei excerptâ & extractam continent, ideo illos pro publica confessione nostrarum ecclesiarum habemus, & quæ cum his consentiunt pro veris & orthodoxis agnoscimus, quæ dissentiunt, vt hæretica reijcimus.

XXV.

Sacras, inquam literas solas pro Canone & norma fidei agnoscimus & habemus, & nullo modo maiorum decreta illis præponimus, vel scripturam ad humani ingenij ἐρμηνείαν & decreta interpretandâ esse censemus, sed cū Luthero dicimus: Oportere Christianos & omnes patres omniaq; concilia ad pedes Christi & apostolorum federe & audire, quæ illi dicant, non dicere quæ illi audiant.

XXVI.

Quod autem in illam nostræ Confessionis ἑσσωμάτωσιν simul adhibemus Augustanam confessionem, Apologiam, Smalcaldicos articulos, catechismos Lutheri, id fit ea mente & eo fine atq; usu, vt hæc scripta sint μαρτυρία & testimonia nostræ confessionis, quam à maioribus nostris ex scriptura demonstratam huc usq; fideliter tutati sumus, & deinceps etiam tueri cogitamus.

B 2

Quantum



XXVII.

Quantum itaq; discrimen est inter demonstrationes ipsamq; immotam veritatem & proprias rei causas, & inter veritatis testimonia ac demonstratę ex proprijs causis scientię approbationē, tanto inter vallo istas nostrarum ecclesiarum ἐπιτολογίαις & κατηχήσεσι infra sacras literas collocamus.

XXVIII.

Vsurpamus autem illas propter quatuor causas. Quarum prima est, quia ex sacris literis sunt demonstratę; hoc ratione τῶ ἐξ ὧν: altera à forma, quia pulcherrima methodo omnia religionis capita breuissimè exponunt: tertia ab efficiente, quia operante & per accuratam scripturarum meditationem animos illuminante Spiritu sancto Orthodoxi & præcipui maiorum nostrorum Theologi illas confecerunt: vltima deniq; à fine. Nam quę confessionis forma ab ecclesijs vnanimi consensu coniunctis paribus votis & suffragijs approbata & ita recepta est, vt esset post Verbum Dei testis veritatis & character atq; index rectè docentium, nec non nota, qua nostri temporis hæretici à vero corpore ecclesię separarentur, ea ipsa meritò etiam à dissidentibus eo nomine & fine retinetur, vt iuxta illam dissidia & lites dijudicentur & componantur. Verum illi libri, quos recensuimus, eo ipso fine à nostris ecclesijs sunt approbati & subscripti, & quidem ante omnia dissidia, eo tempore, cum Concordia superstite pulcherrima esset animorum inter docentes coniunctio. Ergo nunc quoq; iure ab vtraq; parte dissidentium eo ipso loco hæc scripta retinentur.

XXIX.

Quę sit norma dijudicandi controuersias dictum est.

CAPVT TERTIVM

Quinam errores dicto Canone damnentur.

Ioh. 16. 8.

Thesis I.

Quia vero sana doctrina pura & integra conseruari & ad posteritatem transmitti nullo modo potest, neq; etiam concordia in ecclesia stabilis & diuturna perseuerat, nisi vtrumq; spiritus sancti officium in perpetuo vigore pari passu decurrat, nimirum

13. 1.

1 Tim. 5. 20

2 Tim. 4. 2

Tit. 1. 9.



nimirum ἡ ὁμολογία εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν & ἔλεγχος, hoc est, vt  
vera constanter doceantur, falsa solidè refutantur.

II.

Fideles enim ouium Christi pastores non modo in salubria  
pascua gregem ducunt, sed etiam verbi diuini pedo, vt Luthe-  
rus loquitur, lupos abigunt, & aberrantes reuocant, & separant  
preciosum à vili, argentum & aurum purum à scoria.

Ioh. 20. 14  
Ier. 15. 19.  
Ez. 1. 25.  
Psa. 18. 11.

III.

Propter hanc causam libri Concordiæ authores, quæ & no-  
stra est sententia, piè & rectè statuerunt discrimen in nostris ec-  
clesijs obseruandum esse inter necessaria certamina & futes λο-  
γαμαχίας: illa n. de articulis sunt Christianæ fidei, vbi ad veri-  
tatis patrocinium contrarias opiniones refutari necesse est: hæc  
sæpe ex mera ἀυθαδεία & contendendi studio suscipiuntur.

1. Tim. 6. 4  
2. Tim. 2.  
16. 24. 14.

IV.

Etsi verò ex illis libris, qui enumerati sunt, quilibet, si cum  
inuocatione diuini nominis verbum Dei piè legat & meditetur,  
facile verum à falso discernere, & quæ cum nostra confessione  
pugnant agnoscere possit: Nihilominus perspicuitatis ergò di-  
tè in libro concordiæ illi ipsi errores, qui nostræ fidei aduersi  
sunt, recitantur & ex scriptura refutantur.

Rom. 10. 10

V.

Atq; ita in libro concordiæ damnantur omnes hæreses,  
quæ in primitiua, orthodoxa ecclesia, solido verbi diuini ifun-  
damento refutatae & damnatae sunt.

VI.

Deinde damnantur etiam omnes illæ opiniones & hæreses,  
quæ in scriptis modo commemoratis nostrarum ecclesiarum im-  
probatae & reiectae sunt.

VII.

Deniq; omnes illæ controuersiae, quæ ecclesiis repurgatas  
ab Anno 1548. quo Metaxyce religionis Idolum pontificiorum  
astutia in Germaniam irrepsit, perturbant, in libro concordiæ  
ad normam verbi diuini examinantur, & vera sententia probatur,  
antithesis falsarum opinionum iisdem scripturæ fundamentis re-  
ijcitur.

Schleidan.  
l. 20. et 21.

B 3

Questio.





*Quaestio.*

*An pie factum, quod subscriptiones libri Concordiae a professoribus eius requisitae non conuocata synodo, decisa ab Augustino libro 4. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 12. sub finem libri, ubi haec extant,*

**Q**uid est ergo, quod dicunt de Simplicibus Episcopis, siue congregatione synodi in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est: Nunquid beatissimis & in fide catholica excellentissimis viris Cypriano & Ambrosio ante istos, aduersus istos extorta subscriptio est: quae eorum impia dogmata tanta manifestatione subuertunt, ut quae contra eos manifestiora dicamus, vix nos invenire possimus: Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla haeresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multoq; sint atq; incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari damnariq; meruerunt, atq; inde per caeteras terras de vitandae innotescere poterunt. Verum istorum superbia, quae tantum se extollit aduersus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam capere intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis synodus congregetur: Orbem quippe catholicum, quoniam domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potius vigilantia & diligentia pastoralis post factum illis competens, sufficiensq; iudicium ubicunq; isti lupi apparuerint, conterendi sint, siue ut sanentur atq; integritate vitentur, adiuvante pastore pastorum, qui ovem perditam & in paruulis quaerit, qui oves sanctas & iustas gratas facit.



cit, qui eas quamvis significatas & iustificatas, tamen  
 in ista fragilitate atq; infirmitate pro quotidianis pec-  
 catis, sine quibus hic non vivitur, etiamsi cum  
 bene vivitur, quotidianam remissionem,  
 & ut petant providenter instru-  
 it, & petentes clemen-  
 ter exaudit,





et qui est parvulus & infirmus tamen  
in istis rebus ad iustitiam pro quocumque pec-  
catis sine quibus hic non vivitur, gratiam cum  
deus vivit, quocumque remissionem  
& in petra providentissimam  
in & potentes clem-

ter exaudiat





AB

50A  $\frac{2}{h, 12}$

ULB Halle 3  
003 485 560



*Sb*

Rest.  
Sep./Okt 84 Schuss.









